

DE
OCVLIS ET AVRIBVS
PRIMIS HOMINVM PRAECEPTORIBVS
DISSERIT
AD
ANNIVERSARIAM
LEGVM
GYMNASII ELBINGENSIS
REPETITIONEM
D. XIX. SEPT. MDCCCLXXI
INSTITVENDAM
PERMAGNIFICVM AMPLISSIMVM
CONSULTISSIMVMQVE
CIVITATIS PATRIAЕ
MAGISTRATVM
ET RELIQVOS
CVIVS DEMVM CVNQVE ORDINIS AC DIGNITATIS
LITTERARVM FAVTORES
OMNI QVA PAR EST VENERATIONE ET OBSERVANTIA
INVITATVRVS
IOANNES LANGIVS
GYMN. REGT. PROF. THEOL. PVBL. ET BIBL.
Dubl. do 600.

ELBINGAE
TYPIS NOHRMANNIANIS.



Quemuis constans eorum; qui ex schola Cartesiana prodierunt, sit opinio, principia dari, menti humanae innata & ingenita; alii contra statuant, animam nostram facultate saltem praeditam esse, omnia, quae illi quasi tabulae cereae committuntur, apprehendendi ac discendi; extra omnem tamen dubitacionis aleam positum est, ad utramque intelligendi rationem institutionem quandam ac doctrinam requiri necessariam. Sicuti enim omnia in vita humana, siue sermonem, siue res, quae verbis exprimuntur & actionibus perficiuntur, spectes, non nisi imitatione magistra proferri solent: ita quoque, vel ad principia innata erienda & in lucem ponenda, vel ad habitum facultati naturali actionibus crebro repetitis conciliandum, institutio quaedam & manu quasi ductio accedat necesse est.

Non quidem sum nescius, opponi mihi posse autodidactos, qui ingenio singulari praediti, sponte & sua industria ita profecerunt, ut magnam eruditionis & auctam ingenuarum laudem consequuti sint: ast, quis credat, eos omni prorsus adminiculo destitutos

Pol. 8. II. 4731

stitutos fuisse. Quod enim in Philosophorum scholis vulgo dicitur: nihil est in voluntate, quod non antea fuit in intellectu; illud mutandis mutatis hic quoque applicari potest, dum nihil in hominum, nec autodidactorum mente deprehenditur, quod non antea in eorum conspectu vel in auditu fuit. Ponamus hinc, hominem dari, ingenio maxime philosophico praeditum, qui viua alterius voce non institutus, sed propriis viribus excitatus & promotus, in litterarum studiis eo vsqne progressus est, vt res abstrusissimas pertractando veritates inueniret nouas & nunquam perceptas: quis tamen crederet, eum nulla nec audiuisse vñquam, nec legisse principia, ex quibus tanquam ex fonte illas hausit inuentiones? Sicut enim ex nihilo nihil fit: ita etiam tum ille, qui nouorum facilis est inuentor commendatorque, tum, qui omni destitutus institutione, proprio studio erudit nomen sibi conciliauit, non nisi ex veritatibus ac rebus, sibi jam cognitis, nouas inueniet, easdemque addet veteribus. Vnde vero haec ei conuenit facultas? nisi vel audiendo vel legendō quaedam perceperit principia ac rudimenta, ex quibus, summa industria applicatis & in vsum conuerfis, ad majorem tandem cognitionis ascendere potest gradum.

Non inique igitur me facturum judico, si conuictus statuo, oculos & aures primos hominum esse praeceptores, quorum auxilio tutissimum omnis in mente humana cognitionis ponitur fundamentum. Quae autem dum contendo, omnem animaduertere credo, me rerum maxime externarum rationem habere, quarum cognitione non nisi sensibus, eorumque organis acquiritur. Quem idmodum vero visus & auditus ob praestantiam suam & maximum, quem pree gustu, olfactu, tactuque homini afferunt, vsum, sensus inter humanos primum occupant locum: ita illud quoque laudis, illud praerogatiuae us competit, vt in concilianda rerum cognitione primas teneant partes.

Quam primum homo in lucem editus, ad oculorum auriumque vsum peruenit, vt res externas videre, & sonos percipere possit: actutum matrem aut nutricem, quae vicaria matris opera fungitur, a reliquis distinguit, easque, corona licet aliarum sexus feminei circumdaças, prae caeteris osculo excipere, illarumque lateri haerere gestit. Cum porro infans lallare, & instar cornicantis graculi sonare incipit, prima & vltima, quam ore exprimit, vox est dulcissimum illud patris matrisque nomen. Quid vero infantem, vsu rationis adhuc destitutum, patrem a matre, & matrem a patre, vtrumque vero a reliquis, quorum vlnis excipitur, probe discernere docuit? Quid in causa est, cur ille adspectu rei alicujus, splendore fulgentis, & magno sonorum strepitu, vel etiam voce matris patrisue saepe auditu, statim ad risum vel ad lacrimas fundendas commoueatur? nihil sane nisi visus auditusque.

Quodsi infantis conditionem vterius consideramus, vnde quaeso illi litteras, prima scientiae elementa, cognoscendi, syllabas recte exprimendi, ac integras voces clare & articulate effendi facultas, nisi auribus & oculis praeditus, his ministrantibus eam sibi acquisiuerit. Experientia enim edocti quotidiana scimus, linguam, qua animi conceptus aliis exponimus, naturalem, nobisque congenitam esse nullam; pro comperto potius habemus, eam vsu tantummodo & assuefactio[n]e disci. Hinc evenire solet, vt infans, in meditullio licet Germaniae natus, ast in primis statim vitae diebus in Galliam deportatus, cum lacte materno non germanice, sed gallice loqui discat, eamque linguam sibi reddat vernacula[m], quam aures ipsius a parentibus, a domesticis, aliisque hominibus primam perceperunt. Simulac puer in flexili sua ac lubrica aetate, quae instar speculi quasuis rerum imagines recipit oblatas, annis proficit, virtutumque ac vitiorum amorem fronte quasi promptum gerit. Vnde vero evenit, vt plerique ex illis

illis vanitatem, quam sectantur, & animum ad mala procluem tam verbis quam gestibus facile prodant? Nemo sane, quod abominor, tam perfictae frontis erit, vt tironis animum scurrilibus & obscoenis rebus ex profecto imbuere audeat. Sufficit, praesente pueru ea fecisse vel loquutum esse, quae illi & per visum & per auditum, vitiorum stimulos relinquunt, eumque hac ratione in dies pejorem reddit. Parua enim scintilla in tali fomite ingenitem excitat flammat, incendium periculosum. Aures quippe & oculi, hodegetae instar, incautum ad imitationem prouocant. Cui ergo juuentutis educatio curae est, omnem vtique in verbis & factis illi habeat reverentiam, ne quid audiat vel videat, quod eam vidisse vel audisse olim poeniteat, secundum illud Poetae:

Nil dictu foedum, visuque haec limina tangat,
Intra quae puer est.

Sed aliud mihi occurrit. Cur quaeso puer in eligendo vitae genere patris plerumque vestigiis insit? Cur filius agricultae agricultoram, militis militiam, mercatoris mercaturam reliquis anteponendam esse dicit? Inest quidem cuiuis mortalium ad hoc vel illud vitae genus eligendum stimulus naturalis, quem vocationem internam nominare solent erudit*i*: experientia tamen docet, filium ea, quae a teneris assuescit a patre videre & audire, naturali praesertim accidente inclinatione, amare, eligere, imitari. Ad quae nihil omnino aliud requiritur, quam oculorum auriumque sus. Ponamus vero, filium extra oleas auitae viuendi rationis ferri, aliudque, quam pater auusque elegerunt, vitae genus amare: verisimile est, eum & in hoc negotio oculos auresque suas, aliud institutum commendantes, magna ex parte sequi. Dum enim dubiam suorum conditionem sibi ob oculos ponit, & nescio, quae sesquipedalia verba de alio vitae proposito se audire, animo, fingit: neglectis majorum vestigiis in cultus prioris locum, plane

alium surrogat. Imo ne tironem quidem opificio aut arti alicui, quam quaevis terra alit, nomen suum daturum esse credo, nisi illam prius visu audituque aliquantis per sibi notam fecerit: quippe ignoti nulla est cupidus. Nec aliter se res habet in vita hominum prouecta aetate. Nam quae senes vident vel audiunt, ad sanitatem confirmandam aut recuperandam utilia & felicitati vitae hujus stabiliendae proficia esse, ea non adhibitis aliis suasoribus, sed solis auribus, solis oculis ducibus, in suum conuertunt usum. Horum hinc beneficio auersantur mala; bona contra amore prosequuntur. Horum ductu, quae periculosa vident audiuntue, manibus pedibusque fugiunt; quae vero ipsis utilia, grata & accepta apparent, iis omni studio potiri gestiunt.

Sic aures & oculos, primos omnium omnis aetatis hominum praceptorum merito vocare licet. Quam veritatem ipse Saluator confirmat, dum discipulis Ioannis baptistae, interrogantibus: tune is es, qui venturus est? an alius nobis expectandus? in hunc modum respondit: ite Ioanni renuntiatum, quae auditis & videntis. Matth. XI, 4. Quod idem est, ac si dixisset: sunt vobis oculi, sunt aures. His praceptoribus, his ducibus vitaminis, quo ex vaticinio Iesiae c. XXXV, 5. LXI, 1. cum verbis factisque meis collato conjecturare possitis: vtrum ego Messias, patribus a DEO promissus & diu expectatus sim, nec ne?

Deploranda ergo eorum est conditio, quibus natura ab utero materno aurium vel oculorum denegauit usum. Interim experientia quoque testatur, illum, qui ex duobus modo laudatis adest sensum eo plerumque fortiorum esse, quo hebetior alter deprehenditur. Fingamus hinc, auditum alicui ita deesse, vt nullus sonum, hinc nec verbum nec linguam percipere possit: visus tamen nonnulla ei suppeditabit media, quibus ad cognitionem aliquam perueniet surdus. Quem vere natura nouerca & coecum

&

& surdum nasci voluit, illi ad videndum & audiendum plane inepto, nullis sane opus est praceptoribus. Defectus enim visus prohibet, quo minus rem nosse & aliam ab alia discernere; auditus vero, quo minus sonum articulatum percipere & imitando effingere possit.

Felices igitur praedicandi sunt, qui prouida DEI ac naturae cura sensibus humanis sunt ornati; feliciores vero, qui eosdem, praeprimis oculos auresque, a pueritia sua ita adhibere student, ut illos virtutis & cognitionis ductores, non autem seductores nominare possint. Tanta enim auditus & visus vis est, tanta facultas, ut ab eorum vsu vel abusu non modo in naturalibus, sed in rebus etiam, animam nostram spectantibus, vitae vel mortis aeternae proueniat origo. Quam ob causam jam Salomo, sapientissimus Israelitarum Rex, aurium & oculorum custodiam commendauit, dum: omni, inquit, cura tuere mentem tuam: quia ex ipsa vita tua procedit. Prou. IV, 23. Quod enim in corpore videmus fieri, ut a corde, quod primum animatur, vita naturalis in reliquias corporis partes defluat: idem in animo cogitare oportet, qui, si ab illecebris capitur, & quocunque vitiorum genere captiuus ducitur, nullam virtutem, opus bonum proferre potest nullum. Quae vero cordis custodia ut facilior fiat, summa organorum sensoriorum, maxime vero visus & auditus cura est habenda. Id quod laudatus modo Rex sequenti commate capitis citati annuere videtur, dicens: oculos habeto aequum intuentes, & egiam quasi tenentes viam, ne ad dextram vel ad sinistram prospiciant. Ut itaque priorum Salomonis verborum is sensus sit: vere cor seu animum tuum, ne auribus vel oculis, inter sensus incipatum occupantibus, offendatur & corrumpatur: quia ex illis, si rite adhibentur, vita sin minus, mors prouenit.

Sed sufficiat, haec de oculis auribusque, primis hominum
praceptoribus dixisse. Iuuat potius, ad eorum moderatores &
gubernatores, leges puto, me conferre. Laetor merito, tem-
pus illarum, quae Gymnasi ciuibus datae sunt, praelegendarum,
translocataeque juuentutis scholasticae lustrationem, ex impetrata
Maecenatum Gratosissimorum venia celebrandam, craftina luce in-
stare. Qua occasione ductu PRAECLARISSIMI DOCTISSIMIQUE DOMINI
IOANNIS SAMVELIS FROM, GYMNASII CORRECTORIS FIDE-
LISSIMI ET COLLEGAE HONORATISSIMI studiosa nostra juventus anti-
quum illud Ciceronis effatum: *o tempora! o mores!* dilucide ex-
plicatum, verbis & exemplis planum faciet.

Mearum hinc partium esse duco, quantum precibus & offici-
orum pollicitatione fieri potest, ILLVSTREM, PERMAGNI-
FICOS, MAXIME STRENVOS, GENEROSOS, AMPLIS-
SIMOS, CONSULTISSIMOSQUE VRBIS PROCERES,
DN. DN. BVRGGRAVIVM REGIVM, PRAESI-
DEM, PRAECONSULES, CONSULES, PATRO-
NOS ET EVERGETAS COLENDISSIMOS; nec minus
VIROS EXCELLENTISSIMOS, PLVRIVM REVEREN-
DOS, PRAENOBILES, NOBILES, SPECTABILES, EXI-
MIOS, PRAESTANTISSIMOSQUE LITTERARVM FAV-
TORES LONGE AESTVMATISSIMOS etiam atque etiam
rogare, solemnitati anniversariae praesentiam suam honorificentissi-
mam haud denegare, sed pristinae in Musas nostras benevolentiae
benevolentiam addere velint nouam. P. P. Elbingae. D. XVIII.
Sept. MDCCLXXI.

